

Gottfried Florinus

**PRIMA || DE || FELICITATE || AC BEATITUDINE || HOMINIS || ORATIO || Contra ||
Summam bo-||num metientes atque terminantes, elu-||cubrata || à || GODTFRIDO
FLORINO Steinhemio || VWestph: Philos: & SS.Theol. Studioso. || ... ||**

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1598

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1689719583>

Druck Freier  Zugang



G. Florinus.
R. U. phil. 1598. <SON>

Phil.

29

PRIMA
 DE
 FELICITATE
 AC BEATITUDINE
 HOMINIS
 ORATIO

Contra

τῆς ἀπολαυστικῆς voluptate, χρηματιστικῆς divitiis, φιλό-
 δόξου honore, ἀς πολιτικῆς virtute Summum bo-
 num metientes atque terminantes, elu-
 cubrata

GODFRIDO FLORINO Steinhemio
 VVestph: Philof: & SS. Theol. Studiofo.



M. D.

XCVIII.

ROSTOCHII
 Ex Officina Christophori Reusneri.

1578

E A D E M

AMPLISSIMO, GENERE, DO-
ctrinâ, virtute, sapientiâ præstantissimo urbis
imperialis, Lubecæ, Consuli, Dn.

ARNOLDO BONNO,

ET

REVERENDO, PIETATE, EX-
cellentiq̃ne rerum cognitione spectabili Ædis
Ægidianæ apud Lubecenses Pastori, Dn.

HINRICO MENNIO,

NEC NON

PRUDENTIBUS USU RERUM ET VIR-
tute conspicuis Viris, civibus Lubecensis Rei-
pub. primariis,

DN: GEORGIO UTHOVIO,

Dn: HINRICO CARSTENIO,

Dn: IOHANNI SANDMANNO,

DD. Mæcenatibus & fautoribus suis omni
debiti hõnoris cultu dignissimis,

ab

AUTORE

OBSERVANTIÆ & GRATITUDINIS

ergõ

INSCRIPTA, DEDICATA.





ORATIO



HILosophus ille non quidem formæ nitore sed animi splendore fulgentissimus Æsopus non severè, non austerè, non imperiosè monita sua, maximè illa utilia, præcepit, sed animos juventutis liberali culturâ curandæ illecebris semper ac quasi quibusdam blâdimentis ad bonarum artium studia al-

lexit, allectosque ipsis penitus affixit. Hic cum multas alias & amœnissimas & doctrinarum feracissimas fabulas eleganter concinnatas posteritati consecravit, tum illam quoque de Prometheo, ut, utrum consensus animorumque contentus esset inter homines effingi cœptos futurus, experiretur, effusa è sacculo capita devolvi permitte-
rente, reliquit superstitem. Quæ ipsa licet superficiali cortice præter foedam illam falsitatis larvam nihil reddat, interius tamen altioris intelligentiæ secretum complectitur, ut abjecto externæ falsitatis putamine dulciorem veritatis nucleum studeamus degustare. Subjicere enim ac docere voluit hac fabulâ, tantam esse humanarum sententiarum discrepantiam, ut in sese impingant, & aliæ alias evertere atque percellere velis remisque contendant. Unde sanè tritum illud adeoque lippis ac tonsoribus notum enatum est diverbium; Quot ho-

mines, tot sententiæ; subinnuens suam ac propriam quemque hominum sententiam concipere, tenere conceptam, retentam defendere. Quod ipse sum quàm suaviter consonet veritatis concentui, argumento est, vel intricatissimus ille opinionum de hominis felicitate longè diversissimarum cinnus. De hac enim tantâ dogmatum varietate apud Philosophos semper fuit certatum, ut rem exactius trutinanti, certamen aliquod insaniam videantur suscepisse. Quid enim? Alii, ἀπολαυστικῶν βίων amplectentes, voluptatem profundissimam illam quarumlibet calamitatum charibdin, suavissimam multiplicium malorum escam, sævissimam plurimarum virtutum pestem, foedissimam omnium vitiorum sentinam, ardentissimam omnis turpitudinis tædam, in regiam felicitatis dignitate collocare annuntiant. Alii divitijs, quæ, vel ipso Euryppo sunt mutabiliores, quæ animos hominum inflant, quæ superbiam pariunt, quæ invidiam conciliant, quæ insatiabile desiderium cient, quæ multis perniciem creant, suffragiis suis favent. Alii pro honore, qui foedissimam illam Tulliam proprio parenti mortem inrentare adegit, qui nobilissimas illas creaturas ex cœli fastigio in æternorum cruciatuum barathrum præcipitavit, qui omnes bellorum fluctus, quos ulla unquam ætas est experta, excitavit, sententiam dicunt acriterque depugnant. Alij virtuti, thesauro certè omnium, quos possidere hic in terra contingit preciosissimo, unanimi consensu felicitatis regnum decernunt. Alii actionem ex virtute perfectâ ebullientem meritisimò felicitatis titulo insigniri, & Reginam salutari clamitant. Alij felicitatem primæ causæ summique ac per se boni cognitione atque contemplatione definiunt. Et quid multis? tot sunt tamque incertæ de felicitate opiniones, ut etiam unus idemque homo diversis temporibus aliam atque aliam de eâ sententiam foveat. Si enim quis morborum rabie infestatur, sanita-

tem

29

rem unicè exoptat, summumque bonum iudicat : idem si molesto illo paupertatis onere premitur in bonorum affluentia felicitatem consistere autumat : & si incertis adversæ fortunæ procellis huc illuc agitur, in nullo nisi *εὐτυχίας* portu navigare expetit. Unde factum ut multi nullo firmo ac stabili fundamento subnixi, huc illuc tanquam incertis aëti tempestatibus fluctuarint, maximeque dubii fuerint, quânam in re felicitatem sitam esse statuendum sit.

Verum enimverò cùm veritas rerum perfecta sit essentia illarum cognitio, ipsi rerum naturæ undiquaque conformis; hæc autem nulla in re duplex, nedum multiplex vel reperiatur vel reperiri possit, nec verum in re qualibet amplius uno esse ullo modo potest. Ex quo apertissimè constat unicam tantùm de hominis felicitate sententiam candidâ augustâque veritatis stolâ posse esse amictam, reliquas autem squalido illo ac lacerato falsitatis pallio involutas. Quocirca licet quidem magna sit veritatis potentia, ut contra omnium ingenia, calliditatem ac solertiam facilè se per seipsam defendere queat, tamen, quia hominis propriè est, secundum Oratorem, veri inquisitio atque investigatio, me nec alienum à bonarum literarum studioso facturum, nec justam taxandi & reprehendendi ansam alicui præbiturum, si, ad erudendam mediâque in luce ponendam præsentis quæstionis veritatem, *εὐχρηστὴν* aliquam, pro ingenioli mei tenuitate, instituero, omninò mihi habeo persuasum.

Ne autem ambiguitatis laqueis intricati hæreamus, felicitatem, beatitudinem, summum bonum sive extremum finè hominis (hæc enim nobis Synonyma sunt) id esse statuemus, gratiâ cuius homo primitus est à præpotente Deo creatus, & ad quòd omnes suas actiones, conatus & studia dirigere ex Dei præscripto ac voluntate debet ac teneretur. Veritati enim quàm maximè videtur consonum sapiëntissimum illum totius hujus universi-

tatis autorem non temerè sed ob certum aliquem, eumq;
optimum finem, tam nobilem creaturam fabricasse; homi-
nemque istum finem, quem à Deo determinatum ac præ-
scriptum noverit, unicè intueri, & ad eum acuratè ac
curiosè collimare debere, non verò ex suo arbitrio alium
sibi proponere. Ut namque vitæ instituendæ ratio
non ab Aristotele, aut alio quopiam Aristotelis simili
Philosopho sed à Deo divinisque præceptis est petenda;
ita etjam non ex hominis cujuscumque, licet ille & ingenio
& doctrinâ celeberrimus sit, opinione, sed ex Omnipoten-
tis voluntate & nutu ad certum quendam scopum
eandem illam vitam oportet dirigere. Præterea cum
summum sit bonum, per se etjam bonum esse, constans
esse & perpetuum, non defluxum ac caducum, perfectis-
simum & sufficientissimum esse, ut animi hominum in
eo acquiescere, ipsiusque fruitione contenti esse pos-
sint, arbitremur. Si namque non esset ita compara-
tum, aliud daretur illo superius magisque exoptabile,
quod dum appeteret animus certè altero illo non acquie-
sceret, ideoque appetitu ulterius & longius progredere-
tur. Et denique si nullius cupiditates finiri & termi-
nari in hoc sæculo, nec animus noster iis bonis, quæ sunt
in hac vitâ, satiari potest; (licet enim vel omnia bona,
humano studio acquiri nata, in animum conjicias, illius
tamen capacitatem non expleveris, nedum ut deside-
rium illud immortalitatis flagrantissimum, nemini non
innatum, extinguatur) non est quod nobis felicitatem
polliceamur, antequam vitæ hujus orbem confecerim-
us. Nemo enim hominum est, qui omnis generis
voluptates non amplexetur, effrenatâ quâdam ac immen-
sa cognitionis scientiarumque cupiditate non flagret,
virtutis ac dignitatis splendore honestatisque pulchritu-
dine non alliciatur, uno aliquo bonorum genere quàm
omnibus simul expleri malit, omni metu, dolore ac æ-
gritudine vacare non cupiat, illaque omnia sui juris fa-
Et

29

Ha non defluxa ac fragilia, sed diuturna ac stabilia, imò
sempiterna ac immortalia esse ardentè non experat.
Hoc autem nihil aliud esse, quàm Deorum conditionem
postulare, qui non perspicit, fungus sanè non immeritò
haberetur Davoq̃ue stupidior. Nam si solius Dei pro-
prium est, maximis & æternis bonis affluere, suâ virtute
& sapientiâ gaudere, atq̃ue ab omni mali contagione se-
gregatum summis pergetuisq̃ue voluptatibus perfundi,
utriq̃ue qui omnibus summis & sufficientissimis bonis
perfrui cupit, eaq̃ue ut perpetua sint sedulò exoptat, se
quasi in Deorum numero reponi desiderat. Id verò
tale quippiâ est, ut nemini in calamitoso hujus vitæ cur-
riculo versanti contingere & evenire queat.

Posito jam igitur hoc, nimirum summum bonum
esse ab ipso Deo determinatum, esse per se bonum &
quidem sufficientissimum ac constans, & deniq̃ue in al-
terâ demum vitâ possideri posse, age primâ hac Oratio-
ne examen primarum quatuor opinionum (reliquas
duas secundæ reservantes) ita instituemus, ut nullam
ex illis veritati consentire quivis dijudicare possit fa-
cillimè.

Primum itaq̃ue, voluptatem corporis sensus dulci
aliquo ac suavi moru titilantem ad regiam Felicitatis
dignitatem à Sardanapolo omnium libidinum ac volu-
ptatum charibdi immeritò evehi nemo firmæ mentis ju-
diciiq̃ue incorrupti iverit insitias. Certum namque est
& apud omnes in confesso duabus hominem constare re-
bus; Anima videlicet & Corpore: quarum priorem sibi
soli propriam; posteriorem verò cum belluis commu-
nem obtinet, quarumq̃ue prior nobilior est atque præ-
stantior, quippe divinæ mentis formam ac speciem re-
ferês; posterior autem longè multumq̃ue inferior, ac vi-
lior, quòd ex atomis terræ Dei omnipotentis jussu coa-
luit. Neque etjam dubium esse ullum cuiquam potest
felicitatem potius debere ad totum hominem referri,
quàm

quàm ad aliquam ejus partem, eamque inferiorem ac minus principalem & cum bestiis communem restringi: siquidem à felicitate hominis requiritur, ut totum hominem suavitate perfundat, perfectioremq; ac beatiorem reddat: modò felicitatis titulum justè tenere volet. Quòd si ita est, quis sit tam stupidus, ut perspicere nequeat, aut tam improbus ut perspicere nolit illam Sardapali inscitiam atque amentiam execrandam potius esse, quàm verbis & oratione refellendam. Non dico igitur voluptatem tam bestiis quàm homini convenire, ideoque, si in illà felicitas hominis consistere concedatur, bestias etiam eodem modo, quo homines, felicitatis possessione & perfruitione beari posse necessariò concedendum esse. Non dico summi boni adeptionem stabilem quidem, firmam ac constantem & ejusmodi esse, ut nulla unquam eam comitetur tristitia, nullusque dolor; Corporis verò voluptates multò secus habere, quòd canum morè primò ablandiuntur, tunc repenti mutatae morsum infigunt insanabilem, quodque ubi animam suis blandimentis semel allegerunt, postea bene longum tempus diris suppliciis & cruciatibus hominem torquent; haud secus ac vulnera, quæ sine dolore sæpè infliguntur, ingentibus cum tormentis curantur. Non dico denique nihil esse, dari vel fingi posse, quod hominem sæpius & crebrius foedissimis vitiorum maculis conspurcet, inque graviora pericula præcipitet, quàm voluptas suavissima omnium malorum esca. Quòd quidem lucidissime constabit ubi in partes illam dispescuerimus, easque ordine accuratiùs perlustraverimus. Est itaq; voluptas (ut præcipuas saltem ejus species recenseam) alia temulenta, alia libidinosa, quam utramque vivis poeta depinxit coloribus, ubi hunc in modum scribit;

*Nec veneris, nec tu vini capiaris amore:
Uno namque modo, vina venus nocent.*

Ut ve-

*Ut venus enervat vires , sic copia Bacchi
 Et tentat gressus debilitatq; pedes.
 Multos cœcus amor cogit secreta fateri :
 Arcanum demens detegit ebrietas.
 Bellum sæpè parit ferus exitiale Cupido :
 Sæpè manus iidem Bacchus ad arma vocat.
 Deniq; cum mentes hominum furiavit uterq;
 Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.*

Et verò quid Lothum, ut cum duabus filiabus contra legem naturæ & morem quantumvis barbaræ nationis, atque aded contra sensum ipsum communem, qui illud facinus ita horret, ut memoria ejus etiamnum sit terrori, incestum committeret, adduxit? Voluptas temulenta atque ebrietas. Quid Alexandrum Magnum, qui eruditionis, eloquentiæ, liberalitatis, modestiæ, mansuetudinis, militiæ gloriâ longè lateqne claruit, quemque Plutarchus effigiem perfecti principis numeris omnibus absolutam proposuit, ut Clitum summi animi virum, qui eum à Sphitridatis bipenni liberaverat, sine omni causa telo transfoderet, adegit? Voluptas temulenta atque ebrietas. Hæc, ut Holophernes in lecto jacens vino sepultus à muliere capite truncaretur, effecit. Hæc Imperatorem, Commodum nomine, per concubinam ipsius Marciam straugulavit. Hæc uxori Alboini Lombardorum Regis, ut eum per amasium necaret, occasionem præbuit. En virtutes quibus è famæ tenebris extraxit, en commoda quibus in immensum accumulavit temulenta voluptas illos, qui imperio ejus sese submiserunt. Libidinosa autem voluptas quam terris feceribus intricet, quamque graves in calamitates detrudat sui amatores, ut apertissimè pateat, iidem historiarum monumenta præstabunt. Salomon, quamvis tot tantisque dotibus à Deo fuerit ornatus, ut quoddam veluti miraculum prudentiæ, temperantiæ, pietatis ac fidei esset, & ut Sol inter reliqua sidera, ita inter homines alios

B elu-

eluceret; nihilominus tamen ab hac ipsâ voluptate ita
fascinatus fuit atque potionatus, ut officii, Dei, suique
ipsius oblitus non vereretur palam se idolorum adoratio-
ni addicere, & quibusdam pellicum suarum Diis sacrifi-
care. Herodes quoque hujus blandimentis ac illece-
bris ita fuit captus, ut caput viro illi innocentissimo, &
exemplari veræ pietatis absolutissimo Iohanni Baptistæ
vinculis constricto abscissum in patina tradi curaret He-
rodiadis filiæ. De Samsone sacræ literæ testantur, il-
lum quidem unâ vice asini maxillâ mille interfecisse,
funes validissimos tanquam fila linea igne ferè combusta
dissolvisse, fores portæ civitatis unâ tum duobus earum
postibus humeris suis impositas in verticem montis de-
portasse, leones ferocissimos absque armis necasse, alia-
que mirificissima præstitisse; sed amatoris philtris infe-
ctum in hostium munus venisse, summo cum capitis vi-
tæque discrimine. Et quid multis? Volupras libidi-
nosa Pentapolim cum adjacente regione subvertit, Si-
chem cum populo interemit, judæ filios lethaliter peg-
cussit, Filios Heli in bello prostravit, Hannibalem ar-
mis invictum Romano militi vincendum tradidit. Ex
quibus omnibus promptum est colligere toto cælo er-
rare illos, qui beatitudinem in voluptatibus quæruunt, &
iis fruentes illam se consequutos arbitrantur.

Verùm insurgat hic forsitan contra me quispiam vo-
luptatem non adeo absurdè, ut mihi quidem videatur,
unum bonum dici calamitans, quòd illa propter se
non propter aliud expetitur; qui enim voluptatem se-
ctatur, nihil præter illam unicam ac solam sibi habet pro-
positum, nihil ulterius petit ac quærit, eaque potitus
acquiescit & desinit appetere. Sed, mehercule, plum-
beus hic est & obtusissimus pugio. Licet enim homo
corporis voluptatem appetat; non tamen quâ homo est,
sive appetitu rationali & intellectivo, sed appetitu sensiti-
vo il-

29

vo illam prosequitur. Cùm namque voluptas sensus
solum oblectet, jucunditateque perfundat, quâ à ratione
appetatur? qui animi cupiditatem expleat? quâ totum
hominem exhilaret, perficiat, beatiorẽque reddat?

Etsi igitur voluptas à sensitivo appetitu ut magnum
aliquod ac jucundum bonum exoptatur, tantum tamen
abest, ut appetitus intellectivus illam propter ipsam ex-
petat, ut ne expetat quidem ullâ ratione, sed detestetur,
canẽque pejus & angue fugiat: quod intelligit; Volu-
ptates, quod majores sunt, eò densiorem menti caliginem
offundere, rationis ac judicii arcem occupare, animum-
que illecebris in servitutem pertrahere, & ita dejicere,
ut nihil magnum ac excellens moliatur. Sicuti enim
navis, quæ aquis impletur, ut exhauriri nequeat, statim
submergitur; ita & homo, cum voluptati se dedit, in præ-
ceps vadit, & rationem suam suffocat ac submergit. Un-
de non minus verè quam eleganter locutus est Orator,
quum dixit: Impedit consilium voluptas & rationi ini-
mica est, ac mentis oculos perstringit, nec ullum habet
cum virtute commercium. Quod ipsius animi oculis
perspiciens Archita Tarentinus dicere solebat, adeoque
crebris usurpare sermonibus; Nullam capitaliorem pes-
stem à naturâ homini datam esse corporis voluptate: o-
pinor, quod aliæ quidem pestes corpori solum, quæ vi-
lior est pars hominis, officiant; hæc autem animum si-
mul enervat, mentisque aciem hebetat, & rationem, quod
minùs ritè suo fungatur munere, impedit. Si enim
illa omnia, quæ adversæ sunt, atque inimicæ naturæ in-
ter se capitali quodam odio dissident, ac ἀσπονδοῦ πό-
λεμοῦ gerunt; dubium non est, quin alterum omnes vi-
rium suarum nervos eò intendat, singulosque conatus
huc destinet, ut alteri malum aliquod creet, damnum
paret, exitiumque ac interitum machinetur. Quan-
do verò quis voluptatibus sese immergit imperijque ipsa-
rum iugo colla sua ultro ac sponte subdit, tum non ra-

B 2 tio-

ationem in homine, sed appetitum rerum potiri ac domi-
nari si neq[ue] helleboro cerebrum jubeberis purgare.
Qui autem eum, cui pestem & perniciem sedulo molitur,
ferrumq[ue] ac flammam irabundè minatur, nec non
ipsam vitam præcisè interminatur, suæ potestati atque
ditioni subjacere sentit, is profectò hunc ipsum durissimâ
quâq[ue] afflictione lacerat, miserrimè tractat, exitia-
liq[ue] omnis generis damnorum ac malorum lernâ obrue-
re annititur. Quod si ita est, quis quæso sit, qui animi
mentisq[ue] vires à voluptatibus non solum labefactari &
infringi, sed vel penitus everti atque absorberi miretur?
Hinc sanè virtus ad ipsam voluptatem verba faciens ve-
ritati quàm maximè consentaneè est locuta, ubi dixit;

*Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

Intuemini verò jam, si placet, Reginam à Sardana-
palo in regiâ sede locatam: Vah quàm pulchra, auro or-
nata, facie insignis! Quid? ignoscite quæso; lingua
præcurrit mentem: quàm putida, luto fœdata, aspectu
horribilis, volebam dicere. Sed justò longius mihi vi-
deor prolapsus esse, abrumpam igitur hic Orationis cur-
sum, & illos redarguere aggrediar, qui hominis felicitatem
ac summum bonum divitiis metiuntur atque definiunt,
siquidem hi turpissimè labuntur, & à veritate plus
nimio abluunt.

Supra inter conditiones summi boni hanc secundo
loco posuimus, ut sit firmum ac constans, nec in fortuna-
næ manibus collocatum. Aliàs enim ut Polypus varias
subinde induit formas, ita etiam Beati status modò
hilarem ac jucundam, modò tristem ac luctuosam speciem
referrit: & ut aqua, quamdiu calor ei inest, calida verè
denominatur, cum verò ille marcescit & fugit, non re-
ctè amplius ita dicitur; sic & homo unus idemq[ue] tunc
felix meritò haberetur, dum summo bono fruïtur, non
autem

29

antem quandò eo privatur. Iam verò quemadmodum fluctus marini ventis furèntibus huc illuc devolvuntur, nec ad momentum oculi in loco eodem confidunt; ita etjam divitiæ irrequietis inconstantiae procellis impulsæ velocissimè volant, in alium atque alium locum subinde migrantes. Unde Ovidius eleganter canit:

*Pasibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco:
Sed modò leta manet, vultus modò sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est.*

Quam ipsam inconstantem nobilis fortune inconstantiam expertus Pamphilus ille Terentianus in hanc exclamationem erumpit;

O fortuna ut nunquam perpetuo es bona!

Neque sane mirum tantis fortunam mutationibus obnoxiam esse, divitiasq; tã celeri pede ab alio ad alium deferri, siquidem illæ aut divinâ ultione devorantur, aut luxu dominorum suorum absumuntur, aut ab aliis nunc dolo nunc violentiâ diripiuntur: cen proverbium, de malè quæsitis non gaudet tertius hæres; exemplum filij prodigi; & casus Cræsi, de quo hic versiculus circumfertur; Irus & est subitò, qui modò Cræsus erat, satis superque evincunt clarissimeque ostendunt. Præterquam autem quòd tam caducæ, fluidæ ac mobiles sunt divitiæ, multis etjam ac diris malis sunt gravidæ, quæ tristi partu in dominorum suorum sinum effundunt. Horum crudissimum atque acerbissimum est, quòd cœlestium bonorum hæreditate nos privant, viamque ad paradysum incredibili quadam amœnitate luxuriantem intercludunt. Christus enim, qui se ipsam profitetur veritatem, quiq; mentiri ac fallere nescit, quendam omnia sua bona vendere & in pauperes erogare iussum contristari sentiens exclamat; Quam difficulter, qui pecunias ha-

B 3 bent,

hent, in regnum Dei intrabunt: Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei: opinor, quod ut vacuus nihilque portans promptius ac celerius, quam onustus montem conscendere potis est, ita divitiæ ad cælum non fulcimentum sunt, sed impedimentum. Ecquam verò ob causam? quod, si quid iudico, abusus & superbia illas inde vulsè ac semper comitantur. Tàm enim difficile est, ut Vir quidam doctrinæ singularis ait, hominem divitiis abundare, nec illis unquam abuti; quàm lapidem in aquæ superficie natare, nec unquam submergi. Abusus autem hic consistit partim in amore honorum corruptibilem, qui avaritia vulgò nominatur; partim in eorundem profusione, quàm prodigalitatem appellant: quarum utraq; pietatis cursui plurimum officit, meatusque ad cœlestem patriam ducentes penitus obstruit. Qui enim avarus est, idololatriæ vitio se polluit, quod fiduciam suam, quæ in uno Deo recumbere debebat, rebus creatis apponit, easque in pectore, domicilio Spiritui S. peculiariter consecrato, collocatas divino honore colit atque prosequitur, & in illis tutò salutis suæ anchoram hæere posse arbitratur? Præterea qui avarus est furti & iniuriæ justè damnari potest. Quicquid enim rebus, quæ ad vitæ nostræ sustentationem satis sunt, superest, id non nobis vendicare, & in abdita recondere, sed egentibus impertiri, alimoniamque & conservationi proximi conferre juxta Dei præscriptum ac voluntatem debemus: quod cum retinemus furti reos nos facimus haud secus ac is, qui ab eleemosynis principis cujusdam est, si distribuendæ inter pauperes pecuniæ partem aliquam sibi reservaret. Quod idem agnoscens quidam Lacedæmonius, Timandridas nomine, filium suum, qui illo absente rem infinitis partibus adauxerat non modò, non laudavit, sed contra, vituperavit, illique succentuit, dicens ab illo & Deos, & familiares, & hospites injuriâ affe-

29

affectos, quibus deberentur, quæ in facultatibus superarent. Et denique qui avarus est, homicidium committit, non quidem externâ vi vitæ usurâ alios privando, sed nullâ re proximum juvando, nullâq; ope ubi vel maxima requirit necessitas, sublevando. ut enim ignis non tantum aqua injectâ, sed etjam nullâ materiâ suppeditatâ extinguitur; sic etjam hominibus non modò vi adhibitâ, sed & denegatis ad vitæ sustentationem necessariis vita eripitur: ex quo originem traxit tritum illud; Si non fovisti, occidisti. Si igitur plerique divites sunt avari: si avari sunt idololatræ, sunt fures, sunt homicidæ: si idololatræ, si fures, si homicidæ ab æternorum bonorum hæreditate excluduntur, quid mirum plerosq; divites à cæli portu arceri? Et prodigos quoque æternæ beatitatis nunquam fore participes, siquidem divitias aut gulæ & crapulæ impendendo, aut in alios usus parum cum honestos tum frugiferos infumendo divinæ ordinationi, ut divitiis & ad nostram alimoniam non prodigè sed parcè ac modicè utamur & aliorum inopiæ ac necessitati fideliter medeamur, poscenti adversatur, qui in dubium vocet, cum credam esse neminem, illud largius ostendere superfedo.

Quod verò superbiam, quoq; divitias indivulsè commitari asserui, eâ in parte probatissimæ fidei maximæq; autoritatis vir Augustinus mihi astipulatur, quando affirmat; Difficile esse, ut non sit superbus qui dives est: & alibi; morbum divitiarum esse superbiam, quòd grandis animus sit, qui inter divitias isto morbo non corripitur. Quibus convenienter etjam Poëta canit;

*Ardua res hæc est, opibus non vadere mores
Et cum tot Cresos viceris esse Numam.*

Habent enim divitiæ simile quid cum fungis, ut quidam loquitur, imò pejus obtinent; ii quippe tantum

VEN-

ventrem inflant, at divitiæ totum hominem turgidum, inflatum, ac superbum reddunt. Nam quemadmodum Bucephalus Alexandri Magni equus quoties nudus erat, equisonem in tergum admittebat; ornatus regiis phaleris neminem ferebat, nisi regem ipsum in reliquos omnes ferociebat; ita homines, dum tenuis & angusta illis est res domi, quemvis ferunt suâque conversatione frui patiuntur; simul ac autem fortunam experiuntur benignam, aded ut utramque eis mammam præbeat lætandam, insolescunt, aliosque despiciunt, & suâ consuetudine dedignantur, leonis exuvium ac flabellum pavonis præ se ferentes. Exulaturos autem semper superbos à cœlesti patriâ, ex eo colligas, quod ipsi Deo nihil invisius est ac odiosius superbiâ, nihilque quod ejus iram magis provocet. Decursis enim ac perlustratis omnibus historiarum monumentis nunquam impunitatem Superbiæ à Deo concessam esse, contra eam dejectam & depressam semper fuisse comperiemus, dictumque Chilonis Lacedemonii, qui interrogatus, quid in cœlo ageret Deus, Alta, respondit, deprimit, & humilia extollit, veritati undiquaque & examussum congruere cognoscemus. Cui dicto consona etjam sunt hæc Esaiæ verba: Dies & judicium Domini erit contra omnem superbum ac elatum, & contra omnes cedros Libani procerissimas, & contra omnia robora Basani, & contra omnes montes altissimos, & cõtra omnem turrim excelsum: puta, ut divinâ irâ, tanquam fulgure, sternantur ac pessum eant. Quemadmodum enim fulmen eminentiora quævis & celsissima dejicit, parcit arbutis; sic Deus ubique prostrernit superbos, humiles amat. Quod si igitur peccatum nullum est, in quo Deus minus coniveat, quàm in superbiâ, nec quod ei sit intolerabilius, acriusque & severius ab ipso plectatur, & verò nulli non divites hoc vitio sunt infames, quomodo in æterna ta-

ber-

24
bernacula recipiantur: quomodo gaudii, quo humiles
affatim in futurâ vitâ perfundentur, consortes fiant?

Taceo jam quòd divitiæ tam impietati, malitiæ &
turpitudini, quàm pietati, probitati, ac honestati com-
munes sunt, æqualiterque competunt: quippe si so-
lis bonis darentur, putarent mali propter eas Deum co-
lendum; si verò solis malis, nec mali converterentur,
& boni à rectâ viâ ultrò ac sponte deflecerent. Ta-
ceo quod nunquam explere sui desiderium appetitumque
claudere valent; sed

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,

& quantò quis majores possidet divitias, tantò ve-
hementiori illarum siti cruciatur: haud secus ac ignis sa-
cer vel plurimâ injectâ aquâ non modò non extinguitur,
sed multò magis etjamnum inflammatur. Taceo quòd
sicuti Midæ perniciem pepererunt, qui impetrato, ut
quicquid atrectaret, in aurum mutaretur, fame tandem
miserrimè periit; judam verò gravissimo illo ac horri-
bili prodicionis scelere irriterunt: ita ferè omnes
qui illas deamant, periculosissimis periculis exponunt,
objiciunt, calamitosissimis calamitatibus affligunt, ob-
ruunt, iniquissimisq; iniquitatibus infamant, polluunt.
Quam enim aliam ob causam mercatores tam multas,
tam longinquas, tamque periculosas peregrinationes sus-
cipiunt, ventisq; fluctibus, piratis ac prædonibus vitam
suam maximo cùm discrimine committunt, nisi ut opes
corrudent atque divitias? Hæ unæ effecerunt, ut An-
tiochus Magnus regum Asiæ potentissimus non contèrus
tanto imperio bello Romanis illato devictus miserè mul-
ctaretur: ut Constantinus Constantini Magni filius non
acquiescens illa regni parte, quæ ipsi obtigerat, sed fra-
tris eiam parti avidè inhians & vitam regnumq; simul
perderet: nec non Polydorus à Threjicio rege, cui alen-
dus erat mandatus, obtruncaretur.

C num

num animos ita capiunt, ut alii ex insidiis viatoribus necem struant, innocentiq̄ue Sanguine manus suas cruerent: alii se nocturno tempore clanculum in gazophylacia aliena penetrent, furtiq̄ue scelere nomen suum ac famam densissimè obfuscent: alii denique omnem iustitiam à se propulsent, & sæpè odio plusquam vatiniانو arcuissimo etjam consanguinitatis vinculo sibi copulatos prosequantur atq; infestent.

Atque jam his omuib; satis superq̄ue demonstrasse ac apertissimè ostendisse mihi videor, quàm verè asseruerit Seneca; Turpe esse beatam vitam in auro & argento reponere: quare ad illorum sententiam, qui summum bonum honore & dignitate terminant, in eoq; consistere statuunt, gradum faciam.

Hi ipsi autem, quantum quidem ego iudico, omnes nostras actiones, conatus & studia debere censent eò destinari, ut summa dignitatum vassigia tenentes honore à quo vis, cum inclinatione capitis, incurvatione genu, manuum deosulatione, aliisque reverentiæ indiciis afficiamur, Dominiq̄ue ac potentes salutemur. Quid verò, Deum immortalem, hoc est aliud, quàm appetitio cæteris antecellendi, cupiditasq̄ue immoderata, quâ dominari, primo loco sedere, inq̄ue publico obambulantes digito monstrari honoris gratiâ experimus? Quidve aliud, quàm ambitio, castæq̄ue ac inanis gloriæ studium, quæ, definitore Hieronymo, inordinatus est animi motus, quo aliquis propriam desiderat excellentiam, ut alios honore præcellat? Quare sanè turpissimè errare, scèdissimè labi, infestissimèq̄ue veritatem oppugnare censendi sunt; quòd ceu capitis dolore laborantes aureâ quâdam coronâ non oblectantur aut reficiuntur, sed magis gravantur afficiunturq̄ue acerbius; ita quoque honores vitæ commoditati nil quicquam conducunt, sed insigniter officiant, hominisq̄ue miseriam non tollunt, sed exasperant. Semper enim Ambitio honorumq̄ue cupiditas

tas gravissimas omnis generis calamitates enititur, & cultores suos in profundissimas miseras detrusos maximis damnis obruere, turpissimoque exitio prorsus tandem delere ac perdere consuevit. Adamum certe Deus ter Opt. Max: admirabili pulchritudine, innumerisque ac excellentibus dotibus nobilitarat atque adnaverat: erat illi summa concreata perfectio; quâ, ut Sol luce suâ reliquas stellas vincit, supra omnes creaturas eminebat: erat in intellectu sapientiâ, & lux agnitionis Dei; in voluntate justitia, & cum lege ac voluntate Dei dulcissima Symphonia; erat in cæteris facultatibus animæ, membrisque corporis rectitudo ad normam divinæ mentis exactissimè congruens. Quid multis? Perfecta numerisque omnibus completa Dei imago in ipso resplendebat. Ast ubi perditissimo illo ambitionis vitio se corrupendum dedit, nec suâ conditione contentus Deo sese æqualem esse concupivit, non solum omnibus cum corporis tum animi donis privatus fuit atque spoliatus, sed etiam miserimas in clades incidit, & quàm ad altissima contendit, tam ad infima ipsum Deus deturbavit. Nulli morbi corpus illius lacerabant, dolores animum inquietabant nulli: ast post illis corpus consumebatur miserimè, his animus affligebatur crudelissimè. Silentio prætereo, quòd Core, Dothan & Abirom, postquam ambitione impulsæ stultâ arrogantiam sese cum Mose comparassent, cum totâ suâ cohorte terræ hiatu vivi sunt absorpti. Mitto clades, quas Sennacherib & exercitus ejus expertus est, proximâ nocte eum diem sequente, quo per os Legati sui Rabsaces blasphemias voces in Deum evomuit, & superbiâ excecatus in omnipotentem invehi ac eum quasi provocare fuit ausus. Prætermitto & illas calamitates, quibus oppressi Caligula, Domitianus & alii, qui humanam conditionem despicientes in numerum Deorum referri, & divinis honoribus, imaginibus, votis, templis & altaribus & id ge-

nus aliis cultibus coli voluerunt, vitæ periodum funestissimè clausurunt. Quid referam Desiderium ultimum Longobardorum regem, qui cum fervens regnandi cupiditate Italiæ regnum affectaret belloque peteret, eo, quod tenebat, est exutus, & captivus Laodium relegatus? Quidvè dicam de Hinrico Superbo, quòd sibi certò promitteret imperium, ideoque contra Cunradum Imperatorem arma caperet, in extremas angustias redacto, mœstitaq̃ue extincto? Nimirum hi sunt dulces isti fructus Ambitio, quos prodigè effundis, hæc comoda illa salubria ac jucunda, quæ ubertim eructas. O igitur sapientes qui te summæ felicitatis spe summo studio sectantur? O felices qui ad te, ceu optatissimum tranquillitatis portum, festinanter confugiunt! Quippe non solum illos expositâ jam ratione ditas ac beas, sed insuper et jam splendidissimis virtutum (si Diis placeat) ornamentis decoras. Cui enim præter te acceptum referat Absolon, quòd universum populum contra patrem seditiosè concitavit, inque ejus necè conjuravit, domo ac thalamis paternis publicè absque ullo pudore conspurcatis & perpetuâ infamiâ commoculatis eum fugientem diligentius quàm insensissimum hostem persequens, acieque instructa hostiliter adoriens. nec conquievit quoad omnia indicia & argumenta hominis tum pietatis tum humanitatis prorsus expertis, adq; omne facinus emâcipati palàm ederet? Cui præter te ascribat scelerata illa Tullia optimi Romanorû regis Servii Tullii filia, quòd regni cupiditate flagrans, & marito suo, & sorori, & illi (ô execranda & impia crudelitas!) à quo vitam ipsa habebat, mortem molita est atque intendit? Cui præter te debetur, quòd multi fidem datam juramentoque confirmatam ruptâ induciarum pactione turpiter frangunt; multi alios, ut bonam illarum existimationem imminuant, contumelijs perulanter afficiunt calumniisque nequiter proscindunt: multi in alios, ipsis superiores

res

29

res vel etiam æquales, immani furore crudeliter sæviunt: multi denique confimilibus criminibus ac vitiis se horribiliter polluunt.

Præterea etiam, cùm tale debeat summum bonum poni, quòd, constans, fixum ac stabile, non fluens, caducum ac fragile sit, illud, opinor apertissimè constat, immeritò honores & principatus à Periandro aliisque φιλοτίμοις ad regiam & augustissimam Felicitatis dignitatem evehi. Quemadmodum enim stellæ subito nascuntur, subito item evanescent ac quasi exstinguuntur, aut decidunt: ità, qui repentè ad summa honorum vestigia subvehuntur, repentè quoque corruere ac præcipitari solent. Testis mihi est Nebucadnezar, qui postquam non paucas nec mediocres victorias de hostibus reportasset, urbemq; ac regiam suam sumptuosissimis ædificiis, & opulentissimis populorum debellatorum exuviis ac spoliis exornasset atque instruxisset, tutissimaque pace fruens ab omnibus vicinis formidaretur, divinæ iræ fulmine à regio suo folio est deturbatus, brutisque animantibus coactus cohabitare. Testes sunt Icarus & Phaëton, quorum si alter cereis pennis se in altum aëra non elevasset, in mare delapsus nomen ipsi non imposuisset, ut habet versiculus

Icarus Icaris nomina fecit aquis:

alter verò solis currum & equos si regendos non suscepisset, in Endanum fluvium,

Ut interdum de cælo stella sereno,

præceps non decidisset. Testes sunt reges illi tres regno exuti, omni regià majestare nudati, omnibusque bonis spoliati, ac si equi essent, Sesostrum Ægyptiorum regem curru trahentes, fortunamque perpetuis vicibus rotæ instar verti ac volvi aperta voce atreltantes. Verè igitur ac pie locutus est, quicumq; hunc versum protulit

C 3

Regna-

Regnabo, regno, regnavi, sum sine regno,

quòd præter inconstantiam, multæ quoq; ac tristes calamitates principatùm comitantur, quæ ita torquent atque excruciant illum tenentes, ut licet in summis sæpè vivant voluptatibus, & omnis generis delitiis diffluant, miserimi tamen sint, omnis generis infirmitatibus ac morbis infestentur ac premantur, curarumq; edacitate interiùs rodantur, devorentur, absumantur. Taceo quòd honores & principatus nunquam per & propter se expetuntur, sed semper ad aliud referuntur. Quidam enim illos ambiunt prænsandoq; affectant, ut potestate majori potiti, omni voluptatis genere omnibusq; vitæ commodis eò liberius ac liberalius frui possint. Quidam rerum potiri cupiunt, ut virtutis nomen aucupentur, auramq; popularem capent: liquidem eum, qui in maxima constitutus est dignitate, civili prudentiâ egrigiaq; virtute nobilem esse, & ad hujusmodi honores, non nisi propter insigne aliquod virtutis meritum, esse vulgus hominum opinatur. Quidam deniq; ob id petunt magistratus, ut in gubernanda Reipub. navè clarissimum omnium illarum virtutum, quibus ornati & instructi sunt, edere possint specimen. Taceo quoque honorem (si sub illo nihil aliud intelligi voles, quàm externum illud signum, quo nos alicui reverentiam præstare ostendimus) nec in ipsius felicitis positum esse potestate, sed in honorantis manibus consistere, qui pro libitu illum vel deferre aliis vel detrahere potest; nec ulla ratione perficere ac beare quenquam posse. Quid enim quæso homini cuidam inde accidat atq; obtingat, quando ipsi honor habetur, offertur, præstatur?

Restat nunc ut quartæ demum opinionis in virtute seu nudo virtutis habitu felicitatem ac summum bonum ponentis examen instituam; ubi quidem tantò ero brevior, quantò sententia ipsa & honestior, minusq;
absur-

29
absurditatis, quam tres priores haecenus everſæ, habet
adeoque rem ad pauciſſima verba conferam.

Eſt ſanè virtus res præſtantiffima ac nobiliſſima,
ſerioque & perpetuis votis experenda. Qui enim vir-
tute eſt præditus, is & Deo & homini placet, is omnium
ac ſingulorum vitiorum crimen effugere, juſtæque repre-
henſionis verbera declinare poteſt, is ſpinas ſelectiſſimum
boni habitus in mediocritate poſiti ſemen ſuffocare ſoli-
tâs, ſimul ac enaſcuntur radicitus evellit, is demum regiã
viã uſquequaque incedit, nec unquam vel ad lævam vel
ad dextram deſleſtit. Quemadmodum enim flam-
ma urit ſubjectam materiam, illuſtrans vicinum aërem;
ad eundem modum virtutis ignis abſumit vitia, totam
mentem replens lumine. Non igitur abs te eſt, quòd
Iſocrates, Nullam poſſeſſionem virtute auguſtiorẽ
ae ſtabiliorẽ eſſe, dixit; quòd Plato, Quicquid auri
ſuper terram & ſub terra eſt, non dignum eſſe, quòd vir-
tuti æquiparetur, aſſeruit; & quòd alius quidam, Ad
virtutem, tanquam ad delubrum, quòd pro aſylo eſſe poſ-
ſit, ut nulli ignominioſæ fortunæ injuriæ ſimus expo-
ſiti, contentendum eſſe, aſſirmavit. Omnino namque
ut lucernæ lumen obſcuratur & offunditur luce ſolis;
ſic rerum corporearum æſtimatio magnitudine, clari-
tate, & ſplendore virtutis obſcuratur atque obruitur.
In quam ſententiam eleganter quoque & verè dixit Ci-
cero; Nulla poſſeſſio, nulla vis auri & argenti pluriſ eſt
æſtimanda, quam virtus: qua nihil præſtantius, nihil
formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius: quæque nec
eripi nec ſuttripi poteſt unquam: nec naufragio nec in-
cendio amitti: nec tempeſtatum nec temporum permu-
tatione mutari. At verò licet hæc ita ſeſe re habeant
iſa, nihilominus tamen fas non eſt, ut virtus in ſublimi
Humanæ Beatitudinis folio ſereniſſimè fulgeat, Regi-
nãq; debitã cum reverentiã ſalutetur. Etenim ſi pro-
bus

bus ab improbo felix ab infelici cùm in somnis tùm in otio internosci ac distingui ullâ ratione nequit, sanè is, qui virtutis possessione fruitur, quoties vel somnum capit vel otium sectatur, felix denominari non meretur: at eo summum bonum est terminandum, à cuius præsentia homo nunquam non felix verè dicitur. Si haud rarò virtutem acerbissimæ omnis generis calamitates lace- rant, tristissimique fortunæ fluctus huc illuc jactant, uti- que à nemine vel unicam adhuc cerebri atomum habente reliquam haberi illa felicitas potest; quòd ei, in quo posita est summii boni essentia, omni tempore & quolibet ejus articulo competit felicitatis nomen. Si virtus non per se & sui gratiâ, sed propter probas actiones inde promanantes optatur & expetitur, qui possit esse in virtute situm summum hominis bonum; ità comparatum, ità affectum ac dispositum ut per & propter se avidum sui desiderium cieat, excitet, inflammet? Quid? Non- nè etjam summum bonum ex sui conditione absolutissi- mum, perfectissimum, sufficientissimum & ex se satis est, adeò ut ad ejus perfectionem nil prorsus adjici possit? Verùm de virtute, quatenus illa in animo stabulatur, hoc ipsum affirmare absurdissimo est absurdus. Hæc enim, cum sit actus primus sive habitus, tum demum perficitur numerisque omnibus completur, quando actus secundus sive actio accedit: siquidem omne id, quòd *divinus* est, aliquâ imperfectione laborat, cui, ut penitus curetur ac tollatur, actio remedium adhibet atq; medicinam.

Atq; certè vel ex his saltem paucis sole nitidius resplendet, luceque meridianâ magè conspicuum est injustè ac male à Stoicis virtuti felicitatis regnum decerni, ut plura adhuc in medium proferre, noctuas Athenas ferre videatur.

Ostendi igitur hætenus, firmissimisque argumentis prout instituti mei ratio exigebat, palàm feci, nec corporis volu-


29

voluptatem, quòd ad unicam tantùm hominis partem spectat, quòd bestiis cum homine communis est, quòd inconstans & varietati obnoxia est, quòd & damna maxima parat, & vitia fœdissima parit, quòdque nobiliori hominis parti vehementer officit: nec divitias, quæ fluunt ac refluent, cœli januam prodigalitate, avaritiâ & superbiâ, tanquam quibusdam repagulis obstruunt, tam à malis quam à bonis possidentur, semper magis ac magis appetuntur, nec non plurimos calamitatibus obruere & sceleribus polluere videntur: nec honores, hominis miseriam non tollentes sed exasperantes, nomen illis potentium non elucidantes, sed infamiæ tenebris involventes, non stabiles ac fixos, sed fragiles ac caducos, non propter se sed propter aliud expetibiles: nec denique virtutem, quia in dormientibus & otiosis est, quia tristibus adversæ fortunæ procellis concutitur, quia honestarum actionum gratiâ expetitur, & quia aliquid imperfecti, in ea deprehenditur; ullo jure ad regiam felicitatis dignitatem evehi posse. Faxit Deus ut nunquam vel voluptates unice adamemus, vel divitiis avidè inhiemus, vel honores ambitiosè præsemus, vel virtutes nostras gloriosè jactemus, quò tandem turbulentissimum calamitosæ hujus vitæ pelagus emensi, ad tutissimæ optatissimæq; tranquillitatis portum appellamus.

D I X I.



D I N



IN
GODFRIDI FLORINI
DE
SUMMO BONO ORA-
TIONEM.

DE summo (mibi crede) bono scripsere vetusti,
Et mirâ ingenii dexteritate Viri.
At vanum est præferre bonis terrena supernis,
Lubrica divinis, fluxaq; perpetuis.
Delicia quid? honor quid? opes quid? gaudia quidnam?

Isti pro summo quæ statuere bono.

Gaudia magna quidem; verum fluxura repente

Gaudia, sunt homini quæ nocitura pio.

Si semel illecebris penetravit corda voluptas,

Quem tetigit memorem non sinit esse sui.

Nulla illi iusti vel honesti cura superstat,

Uno namq; locat fas nefasq; loco.

Exultat toto male prudens vere cicada,

Gaudiaq; ex blando leta virore capit.

Sed viror ut perit, perit ipsa Cicada repente:

Ergo voluptatum gaudia vana fuge.

Tempore in occiduo non longi est usus honoris,

Et celeri lapsu gloria falsa fluit.

Quid tibi fama facit? toto lauderis ab orbe;

Laus tamen illa fugit: quid tibi fama facit?

Quod tibi divitiæ? Villas & jugera sylvæ

Plurima, nummorum ac pondera magna tenes.


At quid erit, quod non momento temporis uno

Mundana perdis conditione queat?


Ipsa

*Ipsa quidem virtus sibi met pulcerrima merces,
 Pro tamen & summo non reputanda bono.
 Contra hos est Florine tua hac oratio scripta,
 De summo qui sic differere bono.
 Perge modò sine fine bonum tu querere, fac &
 Hoc ut sustineas ac tueare decus.
 Florini interea veniam sibi postulat etas,
 Candide, cum juvenis, Lector, & arte rudi:
 Si non sat digna, sat culta scribat avena,
 Sit tamen in tantis & voluisse satis.*

HINRICUS SETTEGAST
 Gadebuscensis Megap.



IN EANDEM.

 *Si avis, ut parvo sic pulchro corpore pollens:
 Hæc veluti castas virides, & olentia late
 Serpilla, & graviter spirantis pabula thymbræ,
 Delectu fugit magno, gratissima tantum
 Dulciaq; excerpens, sed amara in flore relinquens;
 Sic quoq; Florinum quis pravo agere ore negabit,
 Dum sermone bonum tentat monstrare supremum?
 Abjicit infensas sordes, decus omne BONORUM
 Laudes & nomen dense obscurare paratas:
 Non aliter celso quàm si de ponte det illas
 Præcipites, fluxu quò submergantur aquarum.
 Et post ambabus sensa amplexabitur ulnis,
 Quæ non obsistunt, nec sunt contraria verò.
 Te, Florine, Deus tanto dignetur honore,
 Pace bona ut studiis crebro impalescere pergens,
 Tanquam purpureos, veri monumenta veloci
 Mentis metas, flores, & flumina docta Minerva
 Libes, & facili letus dulcedine castra*

Musa-

Musarum foveas, atq; arte valentia rerum
Des momenta gravis, ceu mella tenacia fingens.
Hinc erit ut divumq; bonumq; & pacis amantem,
Ventura appellent omni te tempora seculo.
Hinc erit ut tua palma futura sit arida nunquam,
Florida sed viridi vireat cum pectore semper.

IULIUS COLERUS
VVolgastensis Pom.



IN EANDEM.

Semina ceu nimium stultè cerealia sulcos
Projicit in pingues rustica turba manu,
Nè prius extirpet lolium cum sentibus, atq;
Lappas, quæ damno frugibus esse solent;
Sic quoq; dicturum, vitæ quis terminus, & quis
Sit scopus humane, tollere falsa decet:
Explofis dicat falsis sententia quæ sit
Amplexanda magis, vel fugienda magis.
Errores igitur dùm jam Florine refutas
Ritè vagos, posthac pandere vera volens,
Immortale tibi nec non & nobile nomen
Ecce paras, & te gloria firma manet.
Pulchros ingeni fetus exponere luci
Fac pergas: sævis eripiere rogis.

MOLLERUS LAKEMANNUS
VWilstriensis Holf:



Musarum foveas, at
Des momenta gravi
Hinc erit ut divumq
Ventura appellent o
Hinc erit ut tua palm
Florida sed viridi v



S Emina ce
Projici
Ni prius e
Lappas, qua d
Sic quoq, dicturum,
Sic scopus hum
Explosis dicat faisis
Amplexanda n
Errores igitur dum
Rine vagos, poj
Immortale tibi nec n
Ecce paras, &
Pulchros ingenii fet
Fac pergas: se

erum
ria fingens.
is amantem,
clo.
a nunquam,
semper.

IUS COLERUS
VVolgastensis Pom.



NDEM.

erealia sulcos
ca turba manu,
em sentibus, atq
e solent;
is, & quis
debet:

da magis.
tas
ra volens,
en
anet.

IUS LAKEMANNUS
VWilstriensis Hof:

